

I. N. J.

DISSERTATIO ACADEMICA

P R Æ J U D I C I A
H O M I N U M N O S T R I S E C U L I
C I R C A
D E C O R U M
P E R S T R I N G E N S ,

QUAM,

Venia Facult. Philos. Reg. Acad. Aboëns.

P R Æ S I D E
M A R T I N O J O H A N N E
W A L L E N I O

Math. PROF. Reg. & Ord.

Publicæ censuræ
 PRO GRADU
 Subjicit

A N D R E A S G . B E C K M A N

W E S T R O - G O T H U S ,

DIE XV. JUN. ANNI MDCCCLXIII.

L . H . Q . A . M . S .

A B O Æ ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

§. I.

Quamvis plerique hominum nostri seculi, qui vel tantillum supra vulgus eminent, suum aliquod solenne faciant, cum sibi de exquisita Decori observantia gratulantur; tantum tamen abest, ut nihil in nostris reperiatur moribus, quod veterem redoleat barbariem, ut potius hodie stolidissimis serviatur præjudiciis, quibus multa arbitramur decora, quæ vix inanem decentiæ speciem tuentur; ut nihil dicam de stultitia eorum, qui ex ipsis virtiorum lacunis absconum aliquod decorum haurire satagunt.

§. II. nomine decori id venire solet quod illa ipsa decet entia, quæ prærogativa libertatis gaudent, quatenus id quemque decere dicitur, quod ita iis, quæ ipso vel insunt, vel adsunt, convenire intelligitur, ut in eo eluceat aliquid pulchri, in quo excellere gloriosum, deficere contra inglorium putant quotquot, de veritate & bonitate objectorum judicaturi, rectam & sanam consulunt rationem, quæ nihil neque bonum neque malum, neque verum neque falsum pronunciat, nisi cuius indolem, adcurato examine instituto, penitus exploraverit.

§. III. Quoties in ferendis judiciis hanc rationem, hunc ordinem negligunt homines, & prius de re aliqua aliquid vel negant vel adfirmant, quam naturam sub-

subjecti & prædicati legitime cognoverint, toties præjudicia fovere dicuntur, sive aliena auctoritas, sive propria temeritas caussa præcipitantiæ extiterit, quarum utramque hodie concurrere deprehendimus, cum de decoro sibi facienda sumunt arbitria, quorum errores his pagellis, quam fieri potest brevissime, bona Lectorum venia, repræsentare decrevimus,

§. IV. Cum vero altud Divinis, aliud humanis in actionibus pulchrum & gloriosum adpareat, geminum inde Deorum efflorescere intelligitur, alterum divinum, alterum humanum, quorum utrumque mirum in modum detorquent præjudicia hominum politi, scilicet! seculi, quod quotidiana demonstrat experientia, ad cuius testimonia hic tanto rectius provocamus, quanto certius confidimus, ea adspersetur neminem, nisi quem adeo perstrinxerint præjudicia, ut, quid dittent aera lupinis, animadvertere prorsus nequeat.

§. V. Primum quidem exinde, quod Decorum illis solis competit entibus, quæ libero gaudent arbitrio, prono quasi alveo fluit, nec divinum, nec humanum stare posse decorum, si locus concedatur præjudiciis eorum, quos eo dementiæ adegit insanus peccandi pruritus, quem excusare, quam emendare, malunt, ut omnem libertatis laudem & divinæ & humanæ admire conentur naturæ, utramque inexorabili fatorum necessitatibus, quam unde protectam velint, ne ipsi quidem intelligunt, subjicientes; quo tamen delirio nihil hodie frequentius.

§. VI. Decorum vero Divinum seorsim perversum eunt quotquot adeo fascinavit præjudicium libidi-

nis, ut illud totum ex decoro humano metiri sustineant, ea omnia DEO decora somniantes, quæ homines uteunque decere videntur, quorum tamen multa sunt talia, ut ne his quidem veram gloriam adferre possint, ob eamque caussam de natura decori non participant; quippe cujus inanem tantum speciem mentiuntur, non solidis rationibus, sed precariis suspicionibus superstructam.

§ VII. Quamvis omnes præjudiciorum sordes, quibus infelicia vitiorum mancipia Decorum divinum inquinare satagunt, nec liceat nec libeat fodicare; facere tamen non possum, quin eorum notem velianiam, qui eam salutis viam, quæ in sacris præscribitur litteris, tanquam nimis asperam atque angustam, repudiantes, talia sibi media, talem salutis ordinem fingere audent, qualem quisque, salvis hypothesibus, & libidinibus, quibus jucundum putat servire, sibi maxime convenire judicat, judicio rationis neglecto.

§ VIII. Cum genuinus conceptus Decori etiam veram pulchri ideam involvat, hæc que ea tantum compleqtatur, in quibus tum justus servatur modus, tum naturalis cernitur ordinis observantia, quorum ille, inter parum & nimium distinguens, omnibus nostris conatibus amabilem conciliat mediocritatem, hæc vero sollicitate caver, ne aut majus minori, aut levius graviori temere præferatur, neque quæ ratio priora facit, ea persuasio posteriora faciat; haud difficulter intelligitur, pauciora esse decora, quam sibi persuadent, quos malesana falcinarunt præjudicia, omnem mentis aciem obtundentia,

§. IX. Decorum est optimis litteris ornatum generare animum; decorum est exquisita morum elegantia, tum publicis, tum privatis in congressibus, eminere; dum vero quis omnes vitæ partes serio litteratum studiò ita impendit, ut eo se a rebus gerendis penitus abstrahi patiatur, aut id unum agit, ut quæ sciti usus & culti ritus habentur, ea die ac nocte meditetur, næ is omnem decori laudem decoquit; quod tamen præjudicium, nescio quo pacto, a se amolientur hodierni vanitatum magistri, qui in comedendis capillis fervent, in negotiis vero faciendis trigent, horum, quam illorum, minorem habentes rationem.

§. X. Quamvis temere non negemus, ex nitore vestium, lepore verborum, decore gestuum & reliquo ornatu externo haud parum gratiæ in totam hominum vitam redundare; in ipso tamen ordine multum hodie præjudiciis peccatur, cum his majus statuitur pretium, quam iis rebus, quæ ad internum hominis ornatum pertinent, quorum in numero solidum veritatis studium & sincerum virtutis exercitium merito ponitur, quippe quæ duo tantum præstant prioribus, quantum mens est corpore nobilior.

§. XI. Si dubitas, fieri potuisse, ut tam fœdus mentis morbus in tam polito inveterasceret seculo; attendas quælo ad mores parentum, qui se magni incolas mundi jaftant, & assensum mihi facilis præbebis, cum observaris, eos in liberis educandis tam præpostera versari diligentiam, ut plus studii in corpore ad novos elegantiarum modos componendo, quam in mente ad æternas honestatis regulas conformanda po-

nant, millies ineptum illius gestum corrigentes, dum vix semel prayum hujus statum emendare satagunt.

§. XII. Hinc cum chara illa pignora disciplinæ scholasticæ tradere coguntur, in eumque finem eligen- di sunt magistri, non tam quærunt, quam solida optimarum scientiarum notitiâ quisque imbutum adferat animum, quam quo successu in id incubuerit, ut manibus & pedibus ita ex formula uti possit, ut nullum temere gestum prodat, in quo fatuum seculi palatum aliquid inveniat, quod alium pariat gustum, quam imperiosum novitatis præjudicium jubet.

§. XIII. Præterea cum nihil nomen decori tueri possit, nisi in eo excellere gloriosum judicent sapientes, nec hi nativum gloriæ fructum ullis aliis ex actionibus percipi doceant, quam quæ illis ipsis convenienter finibus, propter quos DEUS O. M. homini hanc potius, quam aliam tribuit naturam & hanc potius quam aliam unicuique imposuit personam, iisque fines generatim loquendo ad numerum redeant binarium, quo laudatio Numinis & perfectio hominis continentur; non potest non inde sequi, homines nostri seculi tot ineptissima fovere præjudicia circa illud, quod decorum dicitur, quot dictis aut factis, quæ nec laudem Numinis, nec salutem hominis important, aliquid gloriosi inesse judicant, quo demumcunque modo id faciant.

§. XIV. Ne quid gratis dixisse videar, ad varia va- riorum provoco deliria, quorum agmen ducant, qui in ipsis vitiis, nescio quam, decori spiecim sibi invenire videntur; cuius generis cum magnus sit nume- rus

rus, alios in thesi veritatis, alios in praxi virtutis errorem committere, jubent præjudicia, quæ ipsa ex variis derivata fontibus variam admittunt divisionem, adeo ut alia ex falsa perceptione, alia ex prava inclinatione profiscantur, quorum utraque eorum auget auctoritas, quos vel charos habent vel doctos putant.

§. XV. Inter præjudicia theoretica haud scio an ullum hodie sèpius oceurrat, quām quod ii committunt, qui omnia litterarum studia, tanquam inania otiosorum ingeniorum somnia, contemnunt, nihil nisi insulsas argutias appellantes quidquid quoquomodo scholam redoleat, quantumvis solidum id deprehendant alii, qui sanius quām ctius de rebus judicare didicerunt, omniaque tantum dignitatis habere intelligunt, quantum utilitatis præstare percipiunt, dum ad fines divinos ea referunt.

§. XVI. Huic contrario serviunt præjudicio, qui vitio laborant, quod pedantismum vocare solemus, quorum tanta est inopia judicii, ut nihil laude dignum putent, nisi quod scholasticam quandam arrogantiam sapiat, quæ non raro adeo ridicula reperitur, ut qui eâ laborant, omnium sanorum partim commiserationem, partim indignationem mereantur, illam quia se omnia nescire ignorant, hanc quia se omnia scire putantes alios omnes fungos existimant, qui nihil nisi pulverum & foetorem spargant.

§. XVII. Nihil vero in universo orbe scholastico neque causis turpiora neque effectis tristiora admittit præjudicia, quam serva critieorum turba, cuius qui se digna putant membra, tantum produnt fastum ut nihil in ullo auctore sanum adgnoscant, nisi quod ipsorum placeat palato, quod quam corruptum sèpe sit, vel eorum probat temeritas, quibus religio non est purissima & sanissima DEI eloquia toties corrupta crepare, quoties ipsorum vel cerebrofæ hypothesi vel furiofæ libidini repugnare animadvertuntur.

§. XVIII. Quamvis autem horum alii levius, alii gravius pectent,

cent, neutris tamen concedendum putamus, veram esse gloriam, quam argutiis suis criticis acupantur, sive, salvis autographis, corrupta fingant exemplaria, sive, agnitis morum præceptis, falsa criminentur dogmata, quibus rationi impervia fidei mysteria continentur; quippe quem utrumque tum sanctitati divinæ, tum felicitati humanæ adversum teneat, quod nemo homo negaverit, nisi cui pravus aliquis affectus ita mentis aciem perstrinxerit, ut stultissimo servienti præjudicio id gloriosum videatur quod jucundum sentit, nativa jucunditatis criteria ignorans.

§. XIX. Ex præjudiciis vero practicis nullum neque crassius neque turpius esse potest, quam quod maximus numerus hominum præsentis temporis tum commitit, cum omnem Decori laudem, quam abs se dictis & factis trihuunt, ex puraputa metiuntur voluptate, quam sibi ex illis videntur percipere; quod eo rectius tenemus, quo certius novimus, plerosque tam infano laborare palato, ut nescio quem jucunditatis sensum ex pessimis saepe flagitiis percipient, contra vero nihil fere inventant, quod sibi plus fastidii creet, quam ipsis movet serium virtutis studium, quod tamen optimus quisque omnium experitur suauissimum.

§. XX. In hoc numero iure habentur quotquot, omnem religionis & gustum & sensum fastidientes, quidquid verum pietatis zelum vel in dictis vel in factis aliorum importare animadvertisat, id vel pro certissimo habent documento simplicitatis, quam non virtutem moralem, sed merum profundioris cognitionis defectum interpretantur, vel, quod iniquius esse videtur, pro verissimo venditum testimonio simulationis, qua nihil turpius cogitari potest.

§. XXI. Iliada post HOMERUM conscriberem, si omnia præjudiciorum genera, quibus nostro seculo pulchrum videtur servire, paulo pienius enumerare vellem; quare hic pedem figo, DEUM O. M. devoto rogans animo, ut sua efficiet bonitate, ne inaneum Decoci speciem sectantes, nativum gloriarum fructum, qui ex sane dictis & recte factis redundat, unquam minoris faciamus, quam lana jubet ratio, quæ tum demum talis est, cum divina gratia ab illis vitiis, quibus naturaliter laborat, liberata fuerit.

S. D. G.

